Witchcraft
BF
1589
B88

Cornell University Library

Ithaca, New York

White Historical Library

THE GIFT OF PRESIDENT WHITE

MAINTAINED BY THE UNIVERSITY IN ACCORDANCE WITH THE PROVISIONS OF THE GIFT

Witchcraft
BF
1589
B88

Cornell University Library

Ithaca, New York

White Historical Library

THE GIFT OF PRESIDENT WHITE

MAINTAINED BY THE UNIVERSITY IN ACCORDANCE WITH THE PROVISIONS OF THE GIFT



COLLEGII JVRIDICI DECANVS

GVIL. HIERONYMVS BRVCKNERVS,

ANTECESSOR JENENSIS

DE

MAGICIS PERSONIS ET ARTIBVS

disserit,

ET EAS OMNINO DARI OSTENDIT,

Von zauberischen Leuten und Künsten/

daß solche warhafftig anzutreffen/ und nicht in einer blossen Einbildung bestehen/

occasione Legis 6. C. de Malef. & Mathem.

A

NOBILISSIMO JURIUM CANDIDATO

JO. REINHARDO WEGELINO

LINDAVIA ACRONIANO

Solemni lectione, quam cursoriam vocant, explicandæ

Die IX. Maji M DCC XII.

Nunc vero, ob materiæ raritatem, ut Desideriis multorum satisfieret,

---

REG. Clo Io CC XXIII.

Fo

7447
B 94
A-579338

DE

MAGICIS PERSONIS ET ARTIBVS.

Lariſſimus noſter Candidatus interroganti mihi, quem textum Lectione Inaugurali explicandum elegiſſet, indicavit *l. 6. C. de maleſ. & mathem.* qua de maleficis hominibus eorumque magicis artibus agitur; unde mihi nata eſt occaſio, de Magicis perſonis & earum artibus, à multis Neotericis Magni nominis Viris in dubium vocatis aut prorſus negatis diſſerendi, & exiſtentiam earum oſtendendi. Non capit anguſtia programmatis juſtam tractationem,

nem, quam alii tempori, si DEVS vitam & vires largietur, reservabo; brevibus solum thesibus mentem meam includam, & quidem sequentibus (1) principii loco ponendum: Quicquid scriptura sacra dicit, & sanæ ratione convenientissimum est, & á viris prudentissimis invenimus approbatum, & experientia omnium fere temporum & locorum confirmatur, illud negare non debemus. A. Dari Magicas personas & artes scriptura sacra dicit, & sanæ rationi &c. E. Per Magicas personas intelligo tales, quæ pactum ineunt cum Diabolo, vi cujus abdicato DEI fœdere & cultu obsequium illi pollicentur & præstant, ut vicissim Diabolus ipsis gratificetur, & opem ferat maxime in miris quibusdam effectibus producendis; artes autem magicæ sunt ejusmodi media, quibus Diaboli auxilio miros illos edunt effectus. Facessant jam Athei similisque furfuris homines, scripturæ sacræ autoritatem contemnentes, cum mea probatio potissimum hac nitatur, quamvis istud hominum genus vel sola experientia, rectæ rationi non repugnante, queat refutari, sicut hanc in rem meretur legi Excellentissimi JCti Lipsiensis *Caroli Ludovici*

Romani

Romani doctum Schediasma, expendens quæstionem: An dentur Spectra, Magi & Sagæ? Ad fortius stabiliendam sententiam meam quadruplum necto vinculum, Scripturæ, Rationis, Assensus Prudentum & Experientiæ, nec è censu prudentum temere quis excludet Viros, quorum consilio summi Imperantes in Legibus adversus Magos latis fuerunt usi. (2.) Existere malos Angelos, Diaboli voce à me indicatos, tam certum est è sacris, ut ipse *Balthasar Beckerus*, qui hodie agmen ducit negantium Magos, & ad eludenda clarissima scripturæ loca instar Polypi subinde in novas se vertit formas, largiri hoc cogatur. (3.) Diabolum vagari per totum terrarum orbem, & omni studio pernitiem hominum quærere, docet cum tristissima experientia (de qua inferius plura) tum passim scriptura sacra e. g. *Job. I. 7. II. 2. I. Pet. V. 8. Jacob. IV. 7. Apoc. XII. 9. 12.* Conf. summi Theologi & Reverendissimi Abbatis *Breithauptii* Programma de Protevangelio; fruſtra hic à *Beckero* objiciuntur duo textus ex *II. Pet. II. 4.* & *epist. Jud. vers. 6.* ubi referuntur mali Angeli detrusi ad Tartara & constricti catenis tenebrarum; sicuti enim sancti Angeli ser-

vientes piis in hoc mundo *Pſalm. XXXIV. 8. Hebr. I. 14.* ubique circumferunt cœlum, dum beatiſſimo DEI ubique præſentis fruuntur aſpectu *Matth. XIIX. 10.* ita mali à DEI ſalutari excluſi conſortio, & pœnis ſubjecti æternis, etiam tunc, quando graſſantur in terris, circumferunt infernum tartareosque ſentiunt cruciatus. Ideo autem catenis deſcribuntur alligati, quia inſtar beſtiarum catenis conſtrictarum non poſſunt ulterius excurrere & nocere, quam vincula iſta pertingunt, hoc eſt, quousque à DEO licentiam nanciſcuntur, uti hoc clariſſime patet ex hiſtoria *Jobi cap. I. 11. 12. & cap. II. 5. 6.* ita quoque mali ſpiritus ejecti ex obſeſſis, quos Salvator liberavit, non potuerunt in gregem porcorum & ſuum irruere, eumque in mare præcipitare, donec precibus à Salvatore veniam impetrarent *Matth. VIII. 28. & ſeqq.* Imo ipſe *Beckerus* in *Mund. Faſcin. lib. 2. cap. 20.* cum omnem navaſſet operam, ut genuinum ſenſum hiſtoriæ *Gen. III.* everteret, tandem clariſſimis victus N. T. dictis rem ipſam (quod Diabolus primos ſeduxerit parentes) fatetur, aſt modum ſe ignorare contendit §. *25. 26. 27.* Cur igitur non concedit quoque ſimilem

ſedu-

seductionem posterorum Adami & Evæ, licet modum explicare nesciat? Deinde (4.) quasi vires Angelorum bonorum & malorum exacte perspectas haberet, urget continue, quod Angeli tanquam Spiritus non possint agere in corpora, cum tamen sacræ literæ passim contrarium innuant. Annon Angelus in castris Assyriorum una nocte 185. millia hominum cecidit? *Es. XXXVII. 36.* Alius superbum Herodem Regem percussit, ut vermibus arrosus miseram animam efflaret? *Act. XII. 23.* Alius è cœlo profectus saxum grande movit de sepulchro Jesu, & se custodibus fœminisque conspiciendum præbuit, & cum his locutus est *Matth. XXVIII. 4. 5. 6.* Iterum alius pulsavit Petri latus, ut è somno expergefactus, è carcere Hierosolymitano exiret? *Act. XII. 7. & seqq.* ubi *v. 9.* graphice additur: Petrus ignorabat, tale quid revera per Angelum agi, ratus quippe, solum per visionem quid repræsentari. Nihilominus *Beckerus* præconcepta laborans opinione per Angelos ista peracta fuisse contra manifestam literam negat, nec admittit, per spiritus malos in ante citato exemplo sues aquis fuisse submersas; scilicet modum operandi spirituum malorum in

corpo-

corpora capere vel non vult, vel non poteſt, & tamen operationes ipſas inficiari audet. Exponat nobis modum, quo Diabolus agit in animas hominum, eas ſeducendo ad peccata & facinora, uti teſtantur tot ſcripturæ loca (e. g. *Luc. XI. v. 24. & c. XXII. 3. Joh. XIII. 2. 27. Act. V. 3. Apoc. XII, 10.*) an rem ipſam negabit? Nos homunciones ex imbecillitate noſtra non poſſumus ſæpe res ſenſibus obvias & manifeſtiſſimas aſſequi (v. g. qua ratione fiat, ut animæ hominum vel brutorum ſua corpora moveant, & ex imo in altum per gradus tollant) & tamen de Spiritibus ſeparatis & ſubſtantiis completis aſſerere volumus, quod hoc vel iſtud præſtare nequeant; ubi autem DEVS in verbo revelato claris verbis dicit, quod per Angelos bonos vel malos talia patrentur, hoc negare *Beckerus* non veretur, & tam miſere torquet verba in alienum ſenſum, ut, ſi ejusmodi interpretatio foret licita, nihil tam planum ſit & perſpicuum, quod non hac ratione queat in dubium vocari aut prorſus negari.

(5.) Toties boni Angeli apparuiſſe hominibus, & verba feciſſe ad ipſos leguntur; etiam cum Salvatore diabolus locutus eumque aliquot vi-

cibus

cibus tentasse fertur *Matth. IV. 1. & seqq. Marc. I. 12. 13. Luc. IV. 4.* (quæ contra tentationem Christi, à diabolo profectam, objiciuntur, tam violenta & contorta sunt, ut primo statim intuitu seipsa refutent) quid obstat igitur, quo minus & hodie in forma humana vel alia se conspiciendum præbere & verba miscere cum hominibus queat? (6.) Dum diabolus non erubuit à Christo expetere, ut se velut DEVM adoraret *Matth. IV. 9. Luc. IV. 6.* nulla ratio apparet, cur non idem ab hominibus quibusdam exigere possit. Tunc autem maxime adoratur, quando homines renuntiant fœderi divino, & se tanquam mancipia eidem addicunt, quod contingit in pacto diabolico. Tale quid fieri posse, nemo facile ob jam dicta inficiabitur; nihil obest ex parte DEI, malos justo judicio deserentis, & arbitrio diaboli permittentis, nihil ex parte diaboli, omni voto pactum istud desiderantis, nihil ex parte malorum hominum, diabolicam opem sæpe palam implorantium, & se obsequio ejus devoventium. Superbissimus est spiritus, qui Adamum & Evam falsa persvasione seduxit, quod DEO prorsus similes forent, & qui ab asseclis pro DEO vult

adorari. Hunc in finem nihil gratius ipsi est, quam si homines à DEO & divinis præceptis aversi superstitionem sequuntur, & cogitationibus in creaturis defixi hærent, non respicientes creatorem summum omnium rerum arbitrum & moderatorem. Sic diabolus pro DEO colitur, & non potest id melius efficere, quam per Magicas personas ipsum adorantes, & alios in superstitionem trahentes. (7.) Vidimus quid fieri possit, quæritur jam, quid reapse contingat. Variis modis diabolus se manifestat; jam enim exhibet spectra, tot testium sensibus usurpata, ut, si negare illa velis, nihil certi ferme remaneat in rebus humanis, jam per hariolos, quales inter Zingaros (den Ziegeunern) reperiuntur, præteritos & aliis incognitos casus accurate recenset, jam immunes quosdam ab ictibus & plagis præstat (durch das Feste-machen) jam quosdam tenet obsessos, ut in omnium oculos incurrant ejus operationes, e. g. manifestationes rerum occultarum, jam peculiariter venatoribus quibusdam adsistit in capiendis feris, & quis omnes recensebit modos? Immorabimur saltem nostro instituto, & probabimus, actu inveniri Magicas personas, quæ vi pacti

cti cum Satana initu miros producunt effectus. Tales olim erant Magi in Ægypto, qui paria cum Moſe facturi projecerunt baculos, ſerpentum formam induentes *Exod. VII. 11. 12.* aquas fecerunt cruentas *v. 20. 27.* ranas magno numero exhibuerunt *cap. VIII. v. 7.* in pediculis tamen ſiſtendis defecerunt ipſorum artes *v. 18.* unde agnoverunt digitum DEI *v. 19.* h. e. ingenue faſſi ſunt, licet pediculi ſint animalcula, diabolo alias in faſcinationibus familiaria, quod DEO tamen inhibente non potuerint iſta ſiſtere, & ſic manifeſto apparuerit DEI virtus & efficacia. Si non ope diaboli ſed peritia rerum naturalium Magi Ægyptii talia effeciſſent, in defectu pediculorum non dixiſſent: Hic eſt digitus DEI, ſed potius hanc cauſam allegaſſent: ſuperat nos Moſes in arte rerum naturalium; & cur hodie ſagaciſſimi Phyſici ſumto longiſſimo meditandi ſpatio non ſimilia præſtare poſſunt, qualia Magi Ægyptii extemplo patrarunt? Si vero Magi glaucomata ſaltem ſpectatoribus objeciſſent, (uti *Beckerus* arbitratur) nulla ſubeſt ratio, quare non æque quoad pediculos & alia ſequentia miracula, ac antecedentia, ranas, ſerpentes & aquam cruentam oculos ſpectan-

ctantium fallere potuerint. Conſpicuus erat digitus DEI vel maxime in eo, quod in pediculis & ſequentibus miraculis diabolus & per eum Magi non ſimilia facere valuerint, verbis & facto teſtati, limitatam eſſe ſatanæ potentiam, nec citra DEI conceſſionem ullatenus quid valere. Hodie quot miros effectus produnt Magicæ perſonæ? Si peritiæ rerum naturalium hos adſcribis, explices quæſo, unde fœminæ illiteratæ & plebejæ, veneficii ſuſpectæ, talem ſibi compararunt, qua vel doctiſſimi Phyſici ſæpe deſtituuntur? Eodem plerumque modo in his & peregrinis locis nocent aliis Magi & Sagæ, quî fit autem, ut commercium nullum invicem habentes tam miros & concordantes edant effectus, quorum cauſæ naturales nec à peritiſſimis Phyſicis inveniri poſſunt? E confeſſione Magorum & Sagarum conſtat, revera interveniſſe pactum inter has perſonas & diabolum. Ex actis enim obſervavi, in diverſis & invicem longe diſſitis regionibus Magicas perſonas, aliquando ſponte citra tormenta, aliquando torturæ ſubjectas, ferme eadem enuntiaſſe v. g. quod diabolus ipſis apparuerit quidem in formâ humana, ſed plerumque habens mon-

ſtroſum quoddam membrum, (pro pede aut brachio humano ungulam equi aut bovis,) quod expreſſe deſideraverit, ut renuntiarent fœderi in baptiſmo cum DEO inito, & ſe ipſi addicerent, quod aqua impura Magicas perſonas rebaptizaverit, quod fœminæ rem veneream cum ipſo exercentes membrum ejus frigidum expertæ fuerint, nec magnam è congreſſu ejus ſenſerint voluptatem, quod poſt concubitum diabolicum non conceperint homines, ſed erucas aut alios vermes, quos editos in lucem combuſſerint & in pulverem redegerint, ad damna inferenda ex præſcripto diaboli adhibitum. Nihil frequentius accidit, quam ut rixas cum aliis ſoventes Magi & Sagæ minentur, & ſtatim poſt minas inferant damna prorſus inſolita & præternaturalia. Si jam Saga plebeja & illiterata poſt rixas & minas uni, alteri & pluribus eodem modo nocet, & in remota regione alia ſaga, cum illa nullum commercium habens, ſimile damnum infert, quod nec peritiſſimi Phyſici imitari poſſunt, nec cauſam ejus præter diaboli operationem invenire, annon hoc recte pactioni diabolicæ imputatur? Aliquando diabolus mediate per Magos & Sagas, a-

liquando immediate hominibus damna creat, ceu patet ex hiſtoria *Jobi*, dum Arabas & Chaldæos excitavit, pecora & armenta pii viri abigentes, mox per tonitrua & fulmina greges ovium perdidit, mox vento & turbine domum à liberis inhabitatam funditus evertit, mox ipſius *Jobi* corpus ulceribus vexavit. Non ita pridem in vicinitate dictavimus militi capitalem pœnam, qui ex pacto cum diabolo multa mala patraverat, tandem malefactis & ſermonibus ſuis proditus aperuit magiſtratui inquirenti crimen, & gratias Deo egit maximas, quod ipſum liberarit è poteſtate Satanæ; in ipſo quoque agone, ubi gladio per carnificem erat feriendus, lætum animum ob agnita peccata ſua præſetulit, & omnes circumſtantes, inter quos & filius meus fuit, ſerio hortatus eſt, ut caverent ſibi à fraudibus diaboli, nec paterentur ſibi perſvadere, non exiſtere diabolum, cujus tyrannidem & fraudes miſer ipſe ſatis fuerit expertus. Non erat homo atræ bilis, aut melancholicus aut ſimplex, ſed à pueritia ſemper inſignem calliditatem, ferociam & hilaritatem oſtentaverat, prout æquales ejus teſtabantur. (8.) Crimen atrox eſt Magia, quando quis expreſſe renun-

renuntiat fœderi divino, & ſeper pactum addicit diabolo, vi cujus poſtea effectus edit, & quandoque aliis damna infert, unde DEVS *Exod. XXII. 18.* legem tulit: *Sagam non patiaris vivere.* (Vox, quæ in genere fœminino hic uſurpatur, alio loco *Exod. VII. 11.* in genere maſculino de Magis Ægyptiis adhibetur. Cur autem DEVS ſolum præcipit de fœmina Saga, & non etiam de maſculo, ut non patiamur talem vivere? Reſp. Experientia teſtatur, plerumque Satanam ſeducere ſexum imbecilliorem ad hoc facinus, ſicut hoſtis hic humani generis infenſiſſimus conſultius duxit, prius Evam tentare & ſeducere; quare Apoſtolus Paulus *1. Tim. II. 14. Adam*, inquit, *non eſt ſeductus, ſed mulier ſeducta in transgreſſione fuit.*) Si per Sagam hic intelligeretur fœmina, naturalibus ſolum mediis alteri damnum inferens, DEVS ipſi generaliter non ſtatuiſſet pœnam capitalem, ſed arbitrio judicum reliquiſſet, qualem pro ratione circumſtantiarum cenſerent eſſe infligendam. Non enim omnis, qui citra commercium cum diabolo alteri naturali ratione nocet, protinus necari debet. Etiam harioli jubentur è medio tolli & lapidibus obrui *Levit. XX. 27.* ſi pactum

non

non intercederet cum diabolo, ex quo divinatores arcana consulentibus revelarent, non dari posset solida ratio, cur lapidibus tales personæ, sive fœminæ sive mares essent, obrui deberent, quia qui è physiognomia, chiromantia, astrologia aut similibus artibus naturalibus aliqua enuntiant, non statim capitis pœnam merentur, nec peritissimi Physici hodie callent artem, qua præteritos & futuros occultos casus tam exacte referre possunt, uti faciunt Zingari & aliæ personæ Magicæ plebejæ rerumque naturalium non adeo peritæ. (9.) Igitur defendentes sententiam, quod non inquiri debeat in personas Magicas, nec pœna contra illas exerceri, aperte contradicunt sanctioni divinæ de tollenda illa hominum peste & sentina. Multi pœnas æternas, post mortem inferendas, & in sensus nostros jam non incurrentes parum vel nihil curant; infami autem pœna capitali, Sagis à Magistratu statuta, valde terrentut, ut non facile alios in consortium sceleris invitent, pertrahantque. Si nulla pœna vel non adeo gravis ob hoc facinus sumeretur, brevi contagium illud in quibusdam locis longe lateque serperet; ubi dolenda potissimum est conditio

teneræ

teneræ juventutis, à parentibus malis magno numero seductæ. Anno 1697. ex arce Altenstein sub Ducatu Meinungensi habuimus Acta in nostro Collegio, ubi puella 15. annorum nuptias cum diabolo in monte vicino (Lobberg) præsentibus multis Magis & Sagis celebraverat, quas aperuit frater ejus puer paucorum annorum tutori, in cujus domo cum sorore vivebat, & nuptiis illis interfuerat. Tutor rem detulit ad magistratum, hic citavit puellam, quæ comparens diu negavit factum, tandem sponte confessa est crimen iisdem circumstantiis, quas frater recensuerat; diabolus comitatus fuerat puellam in judicium euntem, & dehortatus eam à confessione prædixit fore, ut confessa mortis pœnam non evitaret. Indicavit hoc puella magistratui, & addidit, quod mater ipsam adhuc infantem devoverit diabolo, sed postea moriens valde deploraverit suam & filiæ sortem, hancque monuerit, ut precibus à DEO efflagitaret gratiam. Nos puellæ nullam decrevimus pœnam, sed commendavimus eam curæ piorum clericorum. Multa adhuc memoratu digna ibi contigere illo anno. Aliquot Magicæ personæ, à puero & puella nomina-

minatæ, quod nuptiis præsentes fuissent, non hoc indicio solo, cui parum fidendum esse novimus, sed aliis longe gravioribus detectæ capitis luerunt pœnam, & solemnitates nuptiarum illarum descripserunt, uti puer ille & puella. Fuit quoque inter illas personas vir, qui torturæ subjectus petiit, ut paulisper removerent tormenta. Cum morem gereret Judex spe concepta, quod crimen sit confessurus, nihil aperuit, sed clausis oculis verba fecit de pecunia sua probe custodienda; vix hæc elocutus fuerat, ubi eum extinctum viderunt; Judicii Director simul cum duobus Scabinis testatus est, quod cervicem ejus fractam deprehenderit, quoniam caput facili negotio circumagi, & vultus in dorsum retro verti potuerit. Alius vir, qui præsens illis nuptiis fuisse dicebatur, tormentis subditus risit per omnes torturæ gradus, nec ullum doloris sensum edidit; postea dimissus dixit, quod durante tortura nullus ipsi majorem creaverit molestiam, quam Clericus, ad veram & seriam pœnitentiam ipsum hortatus, & sic non tam indigne tulit Carnificis quæstionem, quam Clerici piam admonitionem. Eodem anno 1697. & in illo judicio arcis Altenstein

ſtein contigit, ut fœmina ob Magiam ſuſpecta in carcere inveniretur mortua, cujus cervix etiam deprehendebatur fracta, antequam torturæ ſubjiceretur: nam vultus ejus diſtortus in tergo hærebat. Præcipitaverat illa filium impuberem in profundam foveam, & hac ratione miſere intemerat, quia noluerat nomen dare Magicæ ſocietati, in quam fuerat à matre perductus. Conſuluerunt Magi & Sagæ diabolum, quid faciendum cenſeret, ne à puero proderentur, & ſvaſit infernalis ſpiritus id, quod mater poſtea perfecit. Inventum eſt pueri cadaver in fovea. Plures perſonæ ob Magiam in lucem protractæ & deinde ſupplicio affectæ, quæ interfuerant ſtygiæ illi ſocietati, recenſuerunt iisdem circumſtantiis detectandum id factum. Sed, ut dixi, mater pueri, priusquam fateretur, mortua in carcere fuit reperta. (10.) Nemo ſanus diffitebitur, multas intervenire fallas imaginationes, in quibus promovendis, ut Magiam totam prorſus reddat ſuſpectam, artificem ſe præſtat diabolus. Ita tempore Moſis, ceu ſupra vidimus, per Magorum Ægyptiorum præſtigias miracula Moſis in dubium vocare annixus eſt; DEVS id ex juſto judicio permiſit,

misit, quo ambitiosi Pharaonis cor magis indureſceret. Tanta eſt Principis infernalis verſutia, (experientia 5000. & plurium annorum roborata,) tanta ejus potentia (cum toto ſuo regno amiciſſime conſpirans) ut, ſi DEVS catenas ejus ſolveret, eique libertatem plenam indulgeret, nos omnes turpiter confunderet, & in vertiginem præcipitaret, è qua non pateret exitus. Non omnia verò ipſi licent, nec nihil. Circumſpectione igitur ſumma opus eſt præſertim (ii.) quoad indicia, Magiam monſtrantia cautionem adhibeamus, ne aliqua, omni probabilitate non carentia, tanquam fallacia prorſus rejiciamus, ſed etiam, ne temere illis credamus v. g. quod Saga viderit hanc perſonam in conventibus Magicis, quod hæc perſona ſchedulam penes ſe habeat, in qua pactum cum diabolo ſangvine ſuo ſcriptum invenitur, quod per noctes aliquot abſens fuerit, nec poſſit dicere, ubinam fuerit commorata, quod tempeſtates grandines tonitrua & fulmina excitaverit, quod ſtigmata magica in corpore gerat, quod in tormentis nullum doloris ſenſum edat, quod corpus ſæpe habeat plagis & verberibus male affectum, nec caulas veras adferat,

ferat, unde malum hoc provenerit, quod alius per foramen januæ inspectantibus locuta fuerit cum aliquo in conclavi, qui evanuit maggo fœrore relicto, quod parentes ejus tanquam Magi à Magistratu ad capitale supplicium fuerint rapti, quod vindictam minata fuerit, & statim damnum præternaturale secutum, quod aliquoties Draconem volantem & in domum involantem plures fide digni observaverint, quod pediculi fuerint immissi. Hæc & similia indicia non semper fallunt, sed circumstantiæ sunt attendendæ; ita indicium de pediculis junctum aliis non negligi debet, si statim post rixam & minas evenerit, si non semel sed aliquoties & diversis hominibus à suspecta persona id contigerit, si numerus & proventus pediculorum fuerit insolitus, ut, dicet his vexari spectantibus aliis nova induvia novasque vestes sumserint, confestim tamen etiam in his numerus ille insolitus insectorum comparuerit, si his vexati moverint querelas & dixerint, quod tale factum magistratui denuntiare velint, & sermone isto à suspecta persona cognito pediculi omnes simul evanuerint. Optarem, ut, qui de indiciis Magicis tractant, ante recensita & similia non ge-

neraliter rejicerent, aut probarent, sed medium servantes usum & abusum eorum rite discernerent, ne Defensores & his oppositi Fisci Procuratores, dum provocant ad celebres Doctores, immerentem apud imperitos Judices applausum sibi conciliarent. Sicuti enim pleraque delictorum indicia, generaliter spectata, pro ratione circumstantiarum aliquando fallunt, aliquando cum aliis sumta fidem faciunt, ita se res habet cum suprà dictis Magicis indiciis. Prudentia jūdicis adsit necesse est, quæ vel minimam attendit circumstantiam, in re tam ardua magnum momentum sæpe habentem. (12.) Ante tempora Lutheri Papa in multis locis cognitionem de crimine Magiæ ad ecclesiasticum traxit forum, & Deputatis suis in Germaniam missis injunxit, ut in illud inquirerent & animadverterent, ceu constat ex *c. summis 4. de malef. & incantat.* in septim. quamvis in *c. accusatus 8. §. sane de hæretic.* in 6to. expresse sancitum reperiatur, quod *Inquisitores hæreticæ pravitatis ab Apostolicæ sede deputati non debeant se intromittere in cognitionem de divinationibus aut sortilegiis (nisi hæresin manifeste sapiant) sed eos relinquere suis judicibus puniendos.* Occasionem

sionem tamen aliqui ex hac constitutione arripuerunt distingvendi inter sortilegium hæreticale & non hæreticale vid. *Farin. de hæres. qu. 81.* Alii crimen sortilegii statuerunt esse fori mixti, & posse de illo cognoscere Judicem secularem quoad Laicos, ita tamen ut præventioni sit locus *Pirrhing. in Method. Jur. Can. ad tit. Decret. de Sortileg. fol. m. 321.* Quia vero Magiam communiter habuerunt pro Apostasia à fide Christiana, & hanc retulerunt ad forum ecclesiasticum, plerumque soli Clerici, & ex his Inquisitores hæreticæ pravitatis sibi vindicarunt ejus cognitionem, qui non servato juris ordine, prout ipsis æquum videbatur, aut affectibus ducebantur, omnia expediverunt, & sic magnos excessus commiserunt. (13.) Etiam post Lutherum inter Protestantes abusus non defuerunt, ad quos evitandos utile foret, si summi Principes viris piis, prudentibus & experientia instructis mandarent, casus ambiguos resolvere, accuratam formam Processus contra Magicas personas formandi præscribere, & pœnas infligendas pro diversitate circumstantiarum determinare. (14.) Ut persona ob Magiam suspecta, præsertim infimæ conditionis, in carce-

rem

rem ducatur, & contra eam inquisitio formetur, non tam multa & urgentissima indicia requiruntur; quia, si deprehenditur innocens, è carcere dimittitur, & hoc siniſtram ejus famam non tam auget quam minuit; si vero criminis non est insons, prodeunt facilius omnes, qui hactenus damna senserunt, & metuerunt, ne, si Magicæ personæ resciscerent quid de accusatione aut denuntiatione, vindictam exercerent horrendam. Urgentissima vero & certissima indicia adesse oportet ad torturam decernendam; &, si ullo in delicto, certe in hoc svaderem, ut Defensor Accusatis vel Inquisitis innocentiam allegantibus adjungeretur, qui salarium in causa pauperum acciperet è Fisco, & solicite omnes circumstantias examinaret. (15.) Num recte summi Principes impunitatem promittant & servent Magis, qui ante Inquisitionem adversus eos institutam sponte accedunt Magistratum, & profitentes crimen signa edunt sinceræ poenitentiæ, aliis judicandum relinquo. Certe affirmanti sententiæ non adeo repugnarem, si Magi alios maleficio suo non interemerunt, aut insigne damnum non intulerunt; maxime digni sunt misericordia, qui à parenti-

bus

bus seducti in hanc inciderunt calamitatem. Omnem ex charitate Christiana operam navare tenemur, ut infelices animas à faucibus Satanæ liberemus. Restat nunc, ut de Clarissimo Candidato nostro

JO. REINH. WEGELINO

pro more quædam dicamus. Patriam nactus est Lindavium Liberam S. R. I. Civitatem splendidissimam, anno M D CLXXXIX. d. XXI. Aprilis in lucem hunc editus. De Patre sibi gratulatur Viro Excellentissimo JO. CHRISTOPHORO VVEGELINO, Lindavienſis Reip. Consule, Senatus Belli Præside & Consistorii Ecclesiastici Assessore spectatissimo; de Matre autem Matrona insigni, nomine & reipsa FELICITATE, JO. CONRADI CASPARTI, Patriæ Reip. Secretioris Consilii quondam Assessoris graviſſimi Filia. Non minimam Felicitatis suæ partem esse arbitratur, quod utroque Parente gaudeat adhuc vivo. Quinque annorum puer ad Scholam patriam missus capacis ingenii specimina edidit, dum brevi tempore cancellos classium inferiorum emensus ad superiores justa promotione adscendit. Inter Scholæ Præceptores

laudat fidem & diligentiam Viri plurimum Reverendi M. CONRADI RISCHII, Verbi divini Præconis & Rectoris dignissimi, à cujus ore per sex annorum spatium, & quod excurrit, pependit. Nec parum se profeciſſe in Matheſi fatetur è lectionibus maxime Reverendi M. JO. GAVPII, Paſtoris & Mathematici celeberrimi. Dignus poſtea fuit habitus, qui ad Studia Academica dimitteretur; præ aliis Univerſitatibus elegit noſtram Salanam, cui An. M D CC VII. d. XXIII. Martii nomen daret. Ne autem illotis quaſi manibus irrueret in Sacra Themidos, Philoſophicas primum diſciplinas excolere cœpit, in Hiſtoricis, Arte Heraldica, Re Nummaria & Literaria ſectatus Magnificum Pro Rectorem STRUVIVM, in Phyſicis & Mathematicis Excellentiſſimum Profeſſorem HAMBERGERVM, in Phyſica Experimentali Experientiſſimum Doctorem TEICHMEIERVM, in Hiſtoria ſcriptorum Rerum Allemannicarum Nobiliſſimum Bibliothecarium RICHARDVM, in toto Philoſophiæ curſu, ad ductum Summi Reverendi Theologi BVDDEI, Clariſſimum M. MVSIG. Deinde ſe contulit ad Juris ſtudium excolendum, in quo

laudat

laudat acroales practicas Illustris Consiliarii Intimi VVILDVOGELII, & explicationem accuratam Institutionum Juris Magnifici Consiliarii FRIESII. Inter Privatos Doctores celebrat Consultissimos Viros KRESSIVM & BECKIVM, quorum ille suum Syntagma, Compendium Lauterbachianum, Schilteri Jus Canonicum, Titii Jus Feudale, & Schvvederi Jus Publicum, hic Struvianam Jurisprudentiam & Jus Naturæ juxta Pufendorffii Principia exposuit. Disputando etiam in Cathedra publica tribus vicibus strenuum se gessit Præside laudato STRUVIO, dum materias Juris publici ventilando proposuit I. de Regno Arelatensi & Accessoriis Regni Germanici. II. de Reservatis Imperatoris & Juribus cum Electoribus communibus. III. de Comitiis Imperii Universalibus & particularibus. Cum ita quinquennium absolvisset magna diligentia, pariterque morum svavitate omnibus se probasset, ad summos Jurium Honores adspiravit, quare Facultatem nostram Juridicam decenter rogavit, ut eum ad consveta admitteremus Candidatorum Juris Examina. Morem gessimus honestæ ipsius petitioni, & talem invenimus, quem dignum judica-

dicaverimus, ut in publicum produceremus ad edenda eruditionis ſpecimina Inauguralia. Quid præſtiterit in Hiſtoriarum & Juris publici ſtudio, egregia Diſputatione propediem oſtendet. Craſtina luce habebitur Lectio Curſoria, cui ut Magnificus Dominus ProRector, Patres Academiæ venerandi, Hoſpites omnium ordinum honoratiſſimi, cum Generoſa & Nobiliſſima Studioſorum Corona intereſſe velint, officioſe rogo precorque. P. P. Jenæ d. VIII. Maj.

MDCCXII.

(L. S.)

dicaverimus, ut in publicum produceremus ad edenda eruditionis ſpecimina Inauguralia. Quid præſtiterit in Hiſtoriarum & Juris publici ſtudio, egregia Diſputatione propediem oſtendet. Craſtina luce habebitur Lectio Curſoria, cui ut Magnificus Dominus ProRector, Patres Academiæ venerandi, Hoſpites omnium ordinum honoratiſſimi, cum Generoſa & Nobiliſſima Studioſorum Corona intereſſe velint, officioſe rogo precorque. P.P. Jenæ d. VIII. Maj.

MDCCXII.

(L. S.)